

PALLADEM ARMATAM

CVM

MVSIS INERMIBVS

DELINEAT

AD

ORATIONEM MEMORIAE

RICHTERIANAE

SACRAM

OBSEQUIOSE INVITANS

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN. FREIB.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XC/

© Ver. III. 214

© Ver. III. 214

© Ver. III. 214



EA humani ingenii indoles est ac natura, ut simul instrui velit et delectari: et instrui quidem, ob congenitam discendi cupiditatem, delectari vero, ne animus ab honestate abalienatus in transuersum rapiatur. Id quod poetae intelligentes, innumeras fere fabulas effinxerunt, tantum ingenii spirantes, quantum bonae frugis complectentes. Has nempe si quis vel pro putidis mendaciis vel pro futilibus otiosorum hominum commentis venditare vellet, ille profecto turpiter proderet, quid sint mendacia et fabulae, se nescire. Ista scilicet unice ad decipiendum consuuntur: hae vero consulto inuentae et cum multa industria excogitatae sunt, ut sub earum inuolucris omnis variae doctrinae adparatus exhiberetur. Longum foret, pluribus exemplis et testimoniis hoc comprobare. Quare iam in sola *Pallade Armata* et *Mysis Inermibus* cogitationes nostras defigemus, visuri, quantum utilitatis et iucunditatis post hoc siparium lateat occultum.

PALLAS igitur, Latinis *Mineria* adpellata, Ioue prognata narratur. Hic nempe quum videret, Iunonem uxorem nullos procreare filios, capite sibi percusso, Palladem edidit, eamque armatam,

patrio quae vertice nata est,

uti LVCANVS a) canit. Et illud quidem nomen fortita est a Graeco vocabulo *πάλλα*, hoc est, *vibro*, quod hastam vibrare homines prima docuit. Eadem de causa a CICERONE b) *belli inuentrix et princeps* salutatur: ad cuius sententiam OVIDIVS accedere videtur, c) inter caeteras illius laudes hanc etiam referens:

Ensisub exsertis bellica lacta Dea est.

Consentit VIRGILIUS canens: d)

Palladis armisonae nos numina sancta precamur.

Quorsum vero haec poetica Palladis effigies, quae ingeniis praefecta omnis sapientiae praeses habebatur? et quam NASO omnibus litterarum studiosis commendat, his usus verbis: e)

Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

Scilicet, ut cognoscamus, quae vera sit ratio eruditionis. Vti nempe illa virgo illibata et ex Iouis cerebro nata statuebatur: ita docere voluerunt veteres, omnem sapientiam esse originis diuinae, et caelestem aeterni luminis radium, quo illustrati proxime ad deos accedere videntur. Omnis nempe sapientia suam originem ad Deum refert, qui non tantum idoneam ad litterarum studia largitur indolem, sed etiam vires discendi suppeditat diuinitus impetrandas. Haec a tetra voluptatum seruitute in virtutis ac scientiae possessionem suos alumnos adferit, eosque in integrae felicitatis gloria informat; imo supra sortem humanam suos cultores extollit, ut res mundi fluxas atque vanas despiciant, caelestia meditentur,

a) *Pharsal.* IX. 350.

d) *Aen.* III. 544.

b) *Nat. Deor.* III. 21.

e) *Fast.* III. 816.

c) *Fast.* III, 814.

tentur, et ad deum toto animo conuertantur. Terrae filium esse oportet, qui eximiam hanc caeli sobolem non expetat, et felicitatem hac imagine expressam non amplectatur. Quamuis nempe ea omnibus omnino hominibus sese offerat, studio tamen nostro atque labore opus est. Hac mente finxerunt fabularum architecti, Palladem non sponte ex Iouis cerebro profiluisse, sed, Vulcano suppetias ferente, prodiisse, qui securi caput Iouis diuisit, et Palladem produxit, Nempē

Τοις ἀετῆρσι ἰδρωτὰ θεοῖ προπαγοῖδεν ἐδῆκ'αυ

Ἄθανάτοιο. f)

Dii immortales sudorem ante virtutem posuerunt.

Neque quicquam est tam durum, difficile atque asperum, quod non expugnet pertinax industria et assidua cura. Non solum autem bellorum administratrix, sed etiam urbium architecta Pallas fingitur, quoniam, uti illa sine litterarum scientia non bene geruntur, ita hae absque illis male administrantur. Neque vero Iupiter Palladem recte educandam et formandam vel ad Venerem misit, deliciarum atque amoris deam, vel ad Iunonem, diuitiarum praesidem, sed ad Dae-dalen, ingenio valentem, atque omnis generis artibus exercitam, g) ex cuius schola cultu egregia prodiit. Quid vero aliud hoc figmento docere veteres voluerunt, quam necessitatem bonae institutionis cum indefesso proficiendi studio copulandam? Itaque abstrahendus est animus ab omnibus rebus futilibus atque vanis, ne voluptatum blandimentis seducatur, et corruptelis saeculi irretiat. Dicit enim non potest, quantum sit, a teneris adfuescere, ne cantibus Sirenum mentes fascinetus, ingenia corrumpantur, corpora lancinentur, nerui iugulentur, et ratio ipsa ita obbrutescat, ut nihil, quod arduum, sublime atque excellens est, suscipere possit. Sed iam tempus erit, fructum huius informationis explorandi, et ad nostram Palladem redeundi, quae armata et clypeo crystallino instructa ex officina Dae-dalae prodibat, ut indicaretur, singulare esse sapientiae robur ad omnes tam asperae quam prosperae fortunae insultus fortiter sustinendos, et animum cultura euadere expeditissimum ad mala et bona constanter ferenda. Haec illa sunt arma, quibus homo sapiens et munitur et ornatur. Scutum autem, quod Pallas praese fert, est crystallinum, admirabili fulgore omnium oculos praefringens. Neque alia doctrinae et sapientiae est ratio, quae sua non tantum luce coruscet, sed etiam splendore et calore iis omnibus, quae sunt proxima, tantum ornamentum, quantum emolumentum praestat. Quam in rem LVCRETIVS praeclare sensit: h)

Hem! nil dulcius est, bene quam munita tenere

Edita doctrinae sapientum templa serena,

Despicere unde queas alios, passimque videre

Errare, atque viam palantes quaerere vitae,

Noctes

f) *Hesiod. Op. et dieb. L. I.*

g) *Nat. Com. L. IV. c. 5.*

h) *L. II. 3.*

Noctes atque dies niti praestante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

Nunc vero, relicta Pallade armata, oculos ad *Musas inermes* conuertamus. Licet enim ex Ioue, telis atque armis instructo, hae procreatae narrentur, tamen ad laetiora munia destinatae ab omni armorum usu omnino abhorrebant. Ex multis testibus audiamus AELIANVM, i) qui, εἰδεις, inquit, εἶδε πλασῆς, εἶδε γραφεὺς τῶν Διὸς θυγατρῶν τὰ εἶδη παρέστησεν ἡμῖν ὀπλιτισμῶν, h. e. nemo unquam vel *figulus vel pictor filiarum Iouis (Musarum) imagines nobis exhibuit armatas*. Quae, verbis parum immutatis, alio loco repetit: k) τῶν Μουσῶν εἰδεις εἶδε ποτε εἶδε γραφικὸς ἀνὴρ εἶτε πλαστικὸς, οἷος τὰ ἐγένετο. Ψευδίζα καὶ κηδὸν καὶ ἀλλοτρία τῶν Διὸς θυγατρῶν τὰ εἶδη παραστήσῃ ἡμῖν. ἢ τις ἐτος νεανιστικῶς ἐμαῖν δημιουργός, ὡς ὀπλισμέναις ἡμῖν ἐργασασθῆαι; h. e. nemo pictorum aut *platarum potuit ab se impetrare unquam, ut Musarum falsas atque alienas a filiabus Iouis imagines nobis exhiberet: aut quis unquam opifex tam iuueniliter insaniuit, ut eas nobis effingeret armatas?* Contra vero longe iucundiora officia Poeta illis vindicat, dicens: l)

Μνημοσύνης δ' ἐξ αὐτῆς ἐρασσάτο καλλιμοιοί.
Ἐξ ἧς αἱ Μοῦσαι χρυσαμπύκες ἐξέγειοντο
Ἔνεα, τῆσιν ἄδον θαλίαι καὶ τερψίς ἀείδης, h. e.

Iupiter Mnemosynen pulchris comis ornata[m] amavit: ex qua Musae aureis mitris reuinctae prognatae sunt, quae voce, conuiuio et cantilenis delectantur. Neque aliam ob causam mythologi finxerunt, has scientiarum praefides perpetua tranquillitate frui, in montibus et locis ab omni frequentia et strepitu longe remotis degentes, et ex iisdem nomina Parnassidum, Pieridum, Heliconiadum, etc. trahentes. Immo eadem ex ratione Musae a coniugio videntur abstinuisse, ne iucunda animi tranquillitas forte socia interPELLARETUR. Huc PLATONIS Epigramma valet: m)

Ἄ Κούρης Μοῦσαισι κορασίαι, τῶν ΑΦροδίταν
Τίματ', ἢ τὸν ἔρωτ' ἡμῖν ἐφοπλισομαι.
X' αἱ Μοῦσαι ποτὶ Κυπρῶν. Ἄγεσ τὰ ζῶμυλα ταῦτα.
Ἡμῖν ἐπέταται τῆστο τὸ παιδαγῶγ, h. e.

Venus ad Musas dicebat: colite Venerem, puellae, aut ego cupidinem in vos armabo. At Musae Veneri respondebant: Marti dicendae sunt hae nugae: iste puer ad nos ne accedat! Inermes igitur Musas uniuersa antiquitas repraesentat, et hac ipsa imagine docet, quod nihil extimescendum sit iis, qui litterarum studia

i) Var. hist. L. XII, 2.

k) L. XIV, 37.

l) Hesiod. Theogon. 915.

m) Diog. Laert. Vit. Phil. L. III. 33.

studia colunt, et sapientiae operantur, quam eleganter munitam HORATIUS
adpellat. n)

At, inquires, si Musae fuerunt inermes, quomodo congredi certamine eae
potuerunt? Vnde, nisi ab hostibus feliciter superatis, capitibus suis coronas im-
posuerunt? Cur a ducibus in auxilium vocatae sunt, priusquam in aciem pro-
dissent? Et cur Herculi armato cum Musis una eademque ara fuit consecrata?
Musas enim cum nouem filiabus Pieri, qui Macedoniae tenebat, certasse, ne-
gari non potest. At enim vero certamen illud non armis, sed voce et cantu in-
stituebatur. Quum enim regis illius filiae insolenter arte cantandi gloriarentur,
ipsas Musas in certamen prouocare non dubitabant. Quod mythologus grae-
cus o) his verbis significat: Ὑπο τον χρονον τετον εβασιλευσε Πιερος, αυτα
χρον Ημωδίας, και αυτω θυγατρες εγενοντο εννεα, και χρον εναντιον ετησαν
αυτων Μουσας. και αγων εγενετο Μουσικης εν τω Ελικωνι, h. e. illo tempore im-
perabat Pierus Macedoniae, cui nouem erant filiae, quae chorum Musis oppone-
bant. Et concertatio Musica in Helicone instituebatur. Quam fabulam OVI-
DVS repetens, ait: p)

committunt proelia voce.

Et filiae quidem Pieri his verbis ad ostentationem compositis Musas laceſcebant: q)

Si qua est fiducia vobis,

Theſpiades certate deae: nec voce, nec arte

Vincemur.

Quis autem certaminis huius musici fuerit euentus, idem poeta docet: nempe
filiae Pieri,

- - vicisse deas Heliconae colentes,

Concordi dixere sono. r)

Quum vero a verbis ad verbera istae progredi vellent, Musae inermes iusta
commotae indignatione eas in picas garrulas transformabant. Ita enim
NASO; s)

Conatae magno clamore proteruas

Intentare manus, pennas exire per unguis

Adspexere suos, operiri et brachia plumis.

Aliud praelium, quod Musae cum Sirenibus, Acheloi filiabus, inierunt, in vete-
rum monumentis legitimus relatum. Hae enim voce, tibiis ac lyra suae aetatis
homines ita fascinauerant, ut, CLAUDIANO teste, t) *dulce malum*, earum au-
tem cantilenae *αισθησι ανδρσφονος* dicerentur: u) imo eo audaciae procedebant,
ut, Iunonis iussu, ipsas Musas in certamen prouocarent. Musae vero, victis
hoc

n) L. III. Od. 27.

L. V. Fab. 5.

t) Epigr. ult.

o) *Ant. Liberal.* Metamorph. L. IX.

q) J. c. v. 309.

r) l. c. v. 664.

p) *Metam.*

s) l. c. v. 670.

u) *Pausan.* in Boeot. L. IX.

hoc certamine Sirenibus, in temeritatis ac contumeliae memoriam alas et pinnas earum euellabant, coronasque ex iis factas capitibus suis imponebant. Praelium igitur iam commemoratum a Musis inermibus et iniri et sustineri potuisse, quis neget?

Neque negari quidem potest, Musis olim sacrificia ab iis decreta fuisse, qui cum hoste congredi volebant. Hoc autem non eo consilio fiebat, ut armorum praesidio pugnaturi adiuerent, sed ob alias rationes, quod iam intelligemus. Nam de Lacedaemoniis PLVTARCHVS ita loquitur: x) *Musis rem diuinam faciunt, antequam incant praelium, ut ratio in iis permaneat, hoc est, ne in hostes saeuendo omnem humanitatem exuisse videantur.* Alia vero ex causa, eodem teste, y) rex, priusquam in bellum proficisceretur, Musis sacrificabat, ut nempe *res gerendae illustri memoria et dignissima oratione ad posteror transmitterentur.*

Restat, ut de *Hercule Musagete* aliquid addamus. Hunc autem tam robore corporis excellentem ac strenuum, quam pugnando felicem fuisse, constat. Quae quum ita sint, videri poterat Hercules a Musis mansuetis tam longe fuisse se iunctus, quam otium a strepitu. Et tamen *Herculem Musagetem* antiquitas passim commemorat. Quum enim Fuluius Nobilior, Actiorum victoria clarus, Ambraciam urbem cepisset, atque in ea Musarum simulacra Zeuxis manu adfabre elaborata reperisset, Romam ea transiit, et singulari in templo, ex multa centoria exstructo, collocauit, ipsum autem templum *Herculi Musarum* consecrauit, cuius vestigia adhuc in aedibus Farnesianis deprehenduntur. z) Quam diuersorum Numinum consociationem non tantum PLVTARCHVS inter quaestiones difficillimas refert; a) *δια τι novος ὁ βωμος Ἡρακλεως καὶ Μουσῶν; cur commune fuerit templum Herculis et Musarum?* sed etiam OVIDIVS miratur: b)

Dicite, Pierides, quis vos adiunxerit isti,

Cui dedit inuictas victa nouerca monus?

Causa vero, quam Plutarchus subfuisse suspicatur, longe nimis petita, neque satis probabilis videtur. Factum scilicet esse, ait c) eam ob rationem, quod Hercules Euandrum eiusque aequales litteras docuerit. Quis enim sibi persuaserit, Fuluium supra commemoratum in aede Musis dedicanda potius ad ultima tempora, quam ad res sua aetate gestas respexisse? Felicior est coniectura EVMENII, qui artem rhetoricam sub Augusto Herculeo et Caesare Constantio publice traiebat, hanc ob causam Herculem ac Musas in cultu praestando copulari, putantis, d) quia mutuis opibus et praemiis iuuari ornarique debeat Musarum quies defensione Herculis, et Herculis virtus Musarum voce. Quum nempe Romani viderent, victorias se cum aliis gentibus habere communes, doctrinam autem bellicis

x) Ethic. p. 140.

y) l. c. p. 66.

z) *Bellor.* Vestig. vet. Rom.

Tab. II.

a) Quaest. Rom. 59.

b) *Fast.* VI. 799.

c) l. 9.

d) *Orat. pro instaur. schol.* c. 7.

bellicis cum laudibus ita sibi propriam esse, ut nullus unquam populus ex utroque aequalem gloriam sit consequutus, hoc duarum praestantissimarum virtutum commercio tali modo exprimere et posteris commendare volebant, ut uno templo Hercules et Musarum sacra complecterentur. Neque tantum aedem Herculi Musarum sacra Romani condiderunt, sed statuis etiam positis et numis cufis testatum fecerunt, quo loco utrumque Numen haberent. Namque in via Appia columna conspicitur, his verbis inscripta: HERC. MVS. PYTH. e) in ipsa autem urbe Hercules ostenditur, lyram et plectrum manu tenens, hac cum epigraphe: ΗΡΑΚΛΗ. ΤΩΙ. ΜΟΥΣΑΓΗΤΗ. f) Numium autem antiquissimum nuper IO. HARDVINVS ex regio cimelio in lucem protraxit, g) qui HERCVLES MVSARVM inscriptus non modo Herculem cum lyra, vltato Musarum symbolo, sed etiam ex altera parte ipsius Apollinis, Musarum praefidis, caput repraesentat.

Tantum igitur abest, ut armis Musae instruendae videantur, ut potius omnis doctrinae elegantia et litterarum suauitas inermis esse malit. Quare AELIANVS, interrogatus, cur Musae nunquam pingantur armatae? sapienter respondet: h) *ἠμολογεί τρεῖς, ὅτι δεῖ τοῦ ἐν Μουσῶν βίον εἰρημικὸν τε αἶμα καὶ πρᾶον εἶναι*, h. e. significat, *vitam, quae inter Musas agitur, pacatam et mansuetam esse oportere*. Dicit enim non potest, quantum profectibus priuatur ad studia amplificanda animus perturbatus, distractus, ac omnis generis voluptatibus mancipatus. Ea enim de causa, quod recte AVSONIVS monet, i)

- schola Graio nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut otia Musis.

Non solum autem pacatam, sed etiam mansuetam vitam Musae colunt et sequuntur. Sicuti enim verus studiorum finis in eo versatur, ut mens nostra perficiatur, et intellectus non minus omni boni cognitione impertiatur, quam voluntas ad honesta et praeclara expetenda permoueatur: ita nos omni contentione prouideamus, ut ne separemus, quae copulari perpetuo debent, poetae verba animo recolentes: k)

- didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Imo ipsa Musarum nomina ita sunt comparata, ut ab armorum strepitu longissime abhorreere videantur, quippe ex delectatione, elegantia, suauitate, et omni generis deliciis conflata, quae poeta haud inconcinne suas ad etymologias hoc modo reuocauit:

Fama nouem memora MVSAS, Heliconis alumnae!

Eximium CLIO nomen honoris habet.

Dicitur

e) Gruter. Inscript. p. 1070.

f) l. c. p. 48.

g) ad Plin. L. XXXV. c. 10.

h) l. c.

i) Eidyll. IV. 7.

k) Ouid. ex Pont. L. II. Ep. IX, 48.

Dicitur EVTERPE, quod nos *oblectet* amata,
 Nomen de nitido *stare* THALIA gerit.
 MELPOMENE dulcem designat carmine *cantum*.
 Maxima TERPSICHORE *gaudia* ferre solet,
 Sic ERATO *gratos* sonitus, POLYHYMNIA *suaves*
 Reddit, et ad *caelos* nos leuat VRANIA.
 CALLIOPE *formosa* sonat, dum mira venustas
 Conspicitur doctis semper inesse viris.
 Nam quia Musarum mores imitantur honestos,
 Hinc immortalis praemia laudis habent.

Quum igitur tantum incunditatis, quantum utilitatis ex litterarum studiis comparetur, omnino recte ac praeclare faciunt, qui illorum ingenuos cultores, qua possunt ratione, iuuant, et Musis inermibus praesidio et munificentia obstericantur. Talia inter beneficia schola nostra legatum RICHTERIANVM colit, cuius auctor, quemadmodum de sua prouincia non minus, quam de hac Musarum sede egregie meruit, ita recte factorum praemiis uberrimis nunc inter caelites summa cum voluptate potitur, et in terris se bene fecisse gaudet. Et quia ex decreto Honoratissimorum Dominorum Curatorum iuuenis optima notae atque indolis,

SALOM. GOTTLOB BIENERT,

Freiberg.

particeps est factus, ut eo veluti viatico instructus ad pertegendam studiorum telam in academiam se conferre possit, suum esse patuit, non solum gratum animum publice declarare, sed etiam specimine edendo testatum facere, patrocinio Musagetarum se non esse indignum. Orationis autem suae argumentum tale elegit, quale votis huius temporis adcommodatissimum videtur, Latino stilo *de pace, a gentibus profanis diuino cultu adfecta*, verba facturus, Graeco autem carmine valedicturus. Cui commilitonum nomine abitum faustum ac fortunatum gratulabitur amicus nunquam reconciliatus

Io. Gottlieb Bidermann,

Naumburg.

fermone Romano pauca *de praestantia patientiae*, virtutis, hac inprimis tempestate tam necessariae, quam utilis, praefatus.

VOS, PATRONI et FAVTORES litterarum, qui labores nostros ex bono consilio metiri iam dudum consueuistis, cogitantes, nos facere debere non, quid velimus, sed quid possimus, neque quicquam Vestra in benevolentia erga Musas nostras inermes desiderari patientes, rogamini, ut cras, sacris ante meridiem peractis, ad audiendos hos oratores conueniatis, et patulas aures non minus, quam propensum animum adferatis. P. P. *Freibergae*, d, XX, Sept,

A, R, S, MDCCLIX.

Yb 627

22

ULB Halle
001 508 164




3

(811148)

TA-204

VD 18





91

PALLADEM ARMATAM
CVM
MVISI INERMIBVS
DELINEAT

AD
ORATIONEM MEMORIAE
RICHTERIANAE
SACRAM
OBSEQUIOSE INVITANS
M. IO. GOTTL. BIDERMANN
RECT. GYMNI. FREIB.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XCI

© Pat. III. 816
© Pat. III. 816
© Pat. III. 816